Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dei. mane autem illucescente die dominica prima paschalis festi diem celebra-
rent. Ipsa est autem dies in qua resurrectionis sue gloriam dominus multifario
pie reuelationis gaudio discipulis patefecit. ipsa prima dies azimorum.
de qua multum distincte in leuitico scriptum est. Mense primo. quarta
decima die mensis huius ad uesperam phase domini est. et quinta decima die
mensis huius sollempnitas azimorum domini est. Septem diebus azima comedetis.
Dies primus erit celeberrimus sanctusque. Si ergo fieri posset ut semper in diem quin-
tumdecimum primi mensis. id est in lunam quintamdecimam. dominica dies incurreret.
uno semper eodemque tempore cum antiquo populo dei. quamquam sacramentorum gene-
re discreto. sicut una eademque fide pascha celebrare possemus. Quia
uero dies septimane non equali cum luna tramite procurrit. decreuit apostolica
traditio que per beatum petrum rome predicata. per marcum euangelistam
et interpretem ipsius alexandrie confirmata est. ut adueniente primo
mense. adueniente in eo uespera diei quartedecime. exspectetur etiam
dies dominica a quinta decima usque ad uicesimam primam diem eiusdem mensis.
In quacumque autem harum inuenta fuerit. merito in ea pascha celebrabitur.
quia nimirum hec ad numerum pertinet illarum .vii. dierum. quibus azima ce-
lebrari iubetur. Itaque fit ut numquam pascha nostrum a septimana mensis p-
rimi tertia in utramuis partem declinet. sed uel totam eam. id est omnes .vii. legalium
azimorum dies. uel certe aliquos de illis teneat. Nam et si saltim unum ex
eis. hoc est ipsum septimum apprehenderit. quem tam excellenter scriptura commendat.
dies autem inquiens septimus erit celebrior et sanctior. nullumque seruile
opus fiet in eo. nullus arguere nos poterit quod non recte dominicum pasche
diem quem de euangelio suscepimus in ipsa quam lex statuit tertia primi